



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput X. Quibus argumentis Gentiles ad credendum in Christum sint
pertrahendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83684](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83684)

21. Ἰησοῦς non ignotus Josepho, cum de Jacobo scribat fuisse fratrem Ἰησοῦ λεγομένου χριστοῦ. Σοφὸς ἀνὴρ ejusdem generis est, ac δικαίος ἀνὴρ lib. 1. cap. viii. & ἀγαθὸς ἀνὴρ lib. xiii. cap. 7. Proximis verbis εἰς τὸν ἀνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ. Si tamen virum illum oportet dicere, consimilia sunt, quæ habet de Moyse lib. 111. cap. 13. & de Eliseo lib. ix. cap. 9. Quæ sequuntur, ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, Erat enim mirabilium operum effector, conveniunt cum aliis lib. 11. cap. 5. nec debent rejici ex quo Josephus non crediderit in Christum; cum similia protulerint Pharisei apud Joannem xi. 47. In iis, quæ subjiçuntur Διδάσκαλος ἀνθρώπων τῶν ἡδονῇ ταλαθῇ δεχομένων. Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur, perperam causantur putidam eloquentiam; sunt enim similia iis xvii. cap. 14. τῶν ἀνθρώπων τὰ ἡδονῇ δεχομένων. Sequitur: Καὶ πολλὰς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλλήνους ἐπηγάγετο, Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Extat phrasis huic simillima in libro Vitæ suæ, & in 11. contra Apionem. Verbum autem ἐπηγάγετο, quod Adversarios nonnihil movet, eodem sensu usurpatur lib. xiii. cap. 22. xvii. 14. & xviii. 8.

12.
Roboratur,

Sequitur, ὁ χριστὸς αὐτὸς ἦν. Nil hic difficultatis, si subintelligatur λεγόμενος, ut diximus; quo sensu scripsit Pilatus: ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. In subjectis verbis de Christi damnatione ad Crucem objectant aliqui phrasim ἀνδρὸν παρ' ἡμῶν, non animadvertentes eandem haberi lib. xv. cap. 3. & de Bello Jud. lib. 111. cap.

25. Quod sequitur οὐκ ἐπαύσαντο διὰ πρῶτον ἀγαπήσαντες, Nec deservierunt qui primum diligere ceperant, rejici non debet tanquam spurium, ob similem loquendi formulam lib. vii. cap. 10. & lib. viii. cap. 6. Quæ ad Christi prodigia attinent τῶν θείων ταῦτα, καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ, Hæc aliæque plura admiranda de eo &c. inveniuntur partim lib. xviii. Ant. cap. 10. partim in 2. contra Apionem. Postrema verba εἰς τὰ νῦν τῶν Χριστιανῶν ἀπὸ τούδε ὀνομασμένων οὐκ ἐπέλαττο τὸ φύλον: Ad hanc usque diem non defecit denominatum ab eo Christianorum genus, præferre genuinam phrasim liquet ex libro 1. de Bello Judaico cap. 4. & lib. vi. cap. 13. Adeat, qui plura desiderat, librum secundum Dabuzii.

Opponit Faber: ait Auctor Testimonii Ἰησοῦς τις, Jesus quidam: cur utitur eo pronomine, si illum haud ignorabat? φύλον vero, cum sit à φύω, gigno, convenire nequit sectæ hominum ex Judæis, gentibusque constat. Cætera omnia præoccupavimus.

Resp. pronomen τις desiderari in per vetustis codicibus, & omitti ab Eusebio in Dem. Evang. Rufino, & aliis: quamquam si illud recipias, parum interest; cum idem pronomen à Josepho addatur Abrahamo lib. 1. cap. 8. Jeroboam lib. viii. cap. 2. & Nehemiæ lib. xi. cap. 5. Τὸ φύλον autem usurpatur etiam de Judæis, & Idumæis ab Hircano in unam gentem coactis lib. xiii. cap. 17. neque debemus in Scriptoribus unumquodque vocabulum ad originis etymon tantummodo expendere.

13.
Objectio, &
responsio.

CAPUT X.

Quibus argumentis Gentiles ad credendum in Christum sint pertrahendi.

SUMMARIUM.

1. Argumentum desumptum à persona Christi.
2. Argumentum à prædicatione Evangelii.
3. Argumentum à conditione prædicationum.
4. Argumentum à miraculis patratis à Christo.
5. Argumentum ex Resurrectione Christi.
6. Argumentum ex oraculis ab origine mundi.

UT Pagani & Gentiles convertantur ad Christum eadem argumenta idonea sunt, quæ pro veritate Christianæ fidei in libro xxi. fuere producta. Si enim abjicienda est superstitiosa plurimum Deorum religio, Mahumetis secta, & Judaica observatio, consequens est tenendam esse fidem in Christum. Sed alia nunc argumenta proponam, brevique contexam, quæ poterit Lectorum

R. P. Berti Theol. Tom. V.

7. Argumentum ex testimoniis sanctorum virorum, & ipsorum hostium Christi.
8. Usque ad 12. afferuntur, & solvuntur objectiones Bafnagii.
13. Argumentum ultimum.

ingenium reddere ratiocinio, & dialectica arte ampliora.

ARGUMENTUM I.

Primo demonstratur ex ipsa Christi persona nil falsi de se prædicasse, & divinitus formatam legem tradidisse. Hunc Jesum inter Judæos vixisse imperante Tiberio, testantur lib. xv.

I.
Argumentum primum contra gentiles à conditione Personæ Christi,

lib. xv. Historiarum Tacitus, Suetonius in Claudio, Plinius junior lib. x. Epist. 97. Judæi omnes hostes in Christum infensissimi, & Scriptores cujusque ordinis. Constat natum in Judæa jam à Romanis subacta, regio quidem genere, sed parentibus pauperimis, exiguo Bethlehemi pago. Nulla ipsi humanæ gloriæ amplitudo, non Regum ac principum favor & gratia, non copia divitiarum, non Sacerdotum, ac Sapientum consuetudo, non plebis obedientia. Mariæ filius fuit, Fabri proles appellabatur, socios sibi adscivit pauperulos piscium captura victitantes. Præsede Pilato in cruce pependit, atque inter latrones efflavit animam. Post tale genus mortis, pauperes illi, quos in sui contubernium vocaverat, cum essent antea timore perculsi, ignari ac despecti, extemplo facti Evangelii præcones hominem illum Crucifixum prædicantes Judæorum, atque Gentilium innumeros ad eum pertraxerunt. Propitio aliquo potentissimo Numine hæc perfecisse omnis ratio suadet. Si enim prædicatores ipsos intuearis, neque humana virtute, neque armis, neque muneribus sectatores innumeros nacti sunt. Si inspicias confluentes ad ipsos, erant prius Crucifixi hostes acerrimi, invitabantur ad ignominiam ac mortem, derelinquebant parentes, filios, uxores, agros, & inditam à prima ætate religionem. Ad hoc sane non trahabantur institutis majorum, non rerum terrenarum cupidine, & voluptate, non vi educationis, non Apostolorum sæculari dignitate & imperio, trahabantur itaque occulta veritatis vi, & unius Numinis potestate.

ARGUMENTUM II.

2.
Argumentum ad prædicationem Evangelii.

Sensim à conditione Personæ descendimus ad prædicationem Evangelii, quam Apostoli Jesum Crucifixum universo Mundo annuntiarunt. In hac Christi veritas, atque divinitas demonstratur ab Augustino lib. xxii. de Civit. Dei cap. 7. quoniam Apostoli eo tempore, quo maxime florebat eruditio, annuntiantes resurrectionem Christi, & ascensionem in cælum, & mysteria quæ humana ratio non percipit, terrentibus etiam, & contradicentibus tam magnis, & tam multis persecutoribus, effecerunt, ut à viris sapientissimis Christus adoraretur, & firmissime crederetur secutura ad novum sæculum resurrectio, atque immortalitas carnis. Corroborat idem argumentum Ambrosius scribens in caput v. Lucæ divino consilio factum esse, ut

Christus eligeret non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, ne videretur aut prudentia, aut divitiis, aut potentia & nobilitatis auctoritate aliquos ad fidem suam traduxisse. Perpendit Chrysostomus in Oratione *Quod Christus sit Deus*, quod pro universi conversione Christi discipuli non moverunt arma, non impenderunt pecunias, neque exercituum multitudinem usi sunt, sed verbo simplici, nudipedes & ignari potuerunt mutam reddere linguam Philosophorum, Rhetorum ora constringere, Principes ac Reges convertere, atque Barbaris, Græcisque imperare. Addit divinum esse ad unam Religionem carni ac sanguini reluctantem pertrahere humanum genus absurdis moribus, atque malis innumeris irritum. His accedit ratio D. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 6. deprompta autem ex Augustino citato libro xxii. de Civ. Dei cap. 5. quoniam vel Apostoli res credibiles prædicarunt, & stolidi sunt atque inexcusabiles qui non credunt: vel prædicaverunt res incredibiles, atque ita jam aliquod incredibile admittitur, nempe Mundum tam firmiter illud credidisse, quod est incredibile.

ARGUMENTUM III.

Non solum, inquit eadem Oratione Chrysostomus, illud stupendum divinumque, quod per totum orbem illiterati, ineloquentes, obscuri, & facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, atque vehementia rhetorices privati ædificaverint Christianam Religionem; verum etiam quod illam invictam firmissimamque reddiderint. Quantumvis enim Romani usque ad Constantinum Imperatores, alique Tyranni infestaverint Christi Ecclesiam; prævaluit semper adversus portas Inferi, ut recte ad Tyrannos scripserit Tertullianus cap. 1. Apolog. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis*. In illis vero hostium machinationibus magis divina virtus appareret, si advertas victis, fugatis, & martyrio affectis Christi Apostolis & discipulis, Christianos perpaucos, timidosque indutos virtute ex alto evasisse studiosiores, & dum fluere torrentes sanguinis suorum, redditos fuisse ferventiores. Illud etiam stuporem adauget, quod Christo nomen dederint persecutores, adversarii, carnifices, lictores ac milites Christianorum morti inhiantes. Tales fuerunt Paulus de cælo prostratus, dum pergeret in Damascum adversus Christi fideles, Justinus Philosophus præstantissimus

3.
Argumentum ad conditionem prædicationis.

ſinus ad Chriſtum converſus, dum ſpectaret martyres intrepide ad mortem deferri, Claudius Tribunus converſus ad Chriſtum, dum Chryſanthum, & Dariam torqueret, Romanus in martyrio Laurentii baptiſmum flagitans, Evilaſius idolorum ſacerdos cum virgine Fauſta obtruncatus, alique propemodum infiniti. Creſcunt portenta, dum recolimus etiam mimos, cum myſteria noſtra irrideret, repente divinitus illuminatos pro illorum confirmatione ſubiſſe martyrrium: ut narrant de Gineſio ſub Diocletiano, de Ardalione, & de Porphyrio ſub Juliano Apoſtata. Tantum ergo fidei Chriſtiane incrementum in his circumſtantiis, atque ex his principiis proſectum Chriſti doctrinam, virtutem, divinitatemque corroborat.

ARGUMENTUM IV.

4. Argumentum quod miraculis patris a Chriſto.

Inviſiſſimum Chriſto testi monium perhibent miracula patrata ab ipſo, & ejus diſcipulis: quæ à ſolo Deo fieri in confirmationem veritatis alibi demonſtravimus. Narrantur complura in libris Evangeliorum, & in Actis Apoſtolicis. Facta non fuiſſe ope dæmonum, demonſtratum eſt ex quo fuerint perfecta ad diſſolvenda opera diaboli. Non fuiſſe præſtigias & ludificationes ſenſuum, evincitur, quod patrata fuerint ſpectante omni populo, in urbe frequentiſſima, coram calumniatoribus ipſius Chriſti inimicis. Accedit, quod illorum nonnulla experimento comprobata ſunt; nam Lazarus, quem eſt ſepulchro quadriduum Dominus ſuſcitaverat, ne putaretur phantaſma, coram omnibus loquebatur, & epulabatur, ut ad eum conſuerent Judæi ſtupore percuſi. Vide Joannis caput xi. & Tractatus Auguſtini xl. x. & l. Cæcum quoque à natiuitate illuminatum à Chriſto, de quo idem Evangeliſta cap. ix. poſt ipſius confeſſionem, ac testi monia parentum occultare non potuerunt Phariſæi. Conſecta hæc, & alia plura à diſcipulis nulla ratione credi poſſunt. Primo quia edita à Chriſto prodigia negare non audent inimici Chriſtiani nominis, ut Celfus apud Origenem libro 2. & Julianus Apoſtata apud Cyrillum libro 6. Deinde quia Petrus commemorando Iſraelitis virtutes Chriſti, ut legimus in Act. Apoſtolicis cap. 2. & 4. convertit in una tantum concione tria millia virorum, in altera quinque millia: incredibile autem eſt, hos omnes fictis prodigiis fuiſſe commotos. Præterea cum Apoſtoli hæc prodigia narrent, nunquam tanquam mendaces à

R. P. Berti Theol. Tom. V.

populis, inter quos evenerant, repulſi ſunt, ſed potius tanquam præſtigiatōres, atque malefici. Ad hæc Evangeliſtæ, qui Chriſti miracula mandarunt literis, non prætermittunt illius paupertatem, ignominias, odium apud Sacerdotes ac principes, probra, deriſiones, extremumque ſupplicium; ut plane conſtet noluiſſe in Magiſtri gratiam mentiri. Tandem cui bono hæc diſcipuli conſingere? Non utique ob temporale commodum, cum pro nomine Chriſti perſecutiones, contumelias, & mala innumera paterentur: neque ob meritum, legisque ſuæ obſervationem, cum mendacium & falſum testi monium prohibeat omnis Religio, & præſertim Chriſtiana.

ARGUMENTUM V.

Petitur firmiſſimum argumentum ex Chriſti reſurrectione: quam tribuere non poſſunt contactui alterius corporis, quoniam Chriſtus ſepultus eſt in monumento, in quo nondum quisquam poſitus fuerat: nec affirmari poſſe ſublato Chriſti corpus per ſubterraneos cuniculos, cum fuerit monumentum illud exciſum in petra: nec ſublato ex oſtione, cum lapis ſignatus fuerit, & munitus cuſtodibus. Quod vero cuſtodes ipſi pecunia corrupti dixerint ſublato dum dormitarent, Judæorum perſeuerantiam fraudemque per ſe demonſtrat. Quis enim, ut Auguſtinus ratiocinatur in Plalmum 63. dormientes teſtes adhibet? Nihil eſt quod huic argumento inimici veritatis reponant. Si enim dixerint Chriſtum non fuiſſe mortuum, revincuntur ex guttis ſanguinis & aquæ, quæ exierunt ex corde ejus lancea tranſfixo; nam impoſſibile eſt hominem, poſteaquam ſanguis totus effluxit, vivere corpoream vitam. Si reſurrectionem ipſam pernegaverint, reſutari poterunt nubi testi mium; nam D. Paulus in 1. ad Corinth. cap. xv. 6. provocat ad quingentos. His addimus testi monium Flavii Joſephi viri à Chriſtiana Religione alieni. Adde quod Apoſtoli minime menti ti ſunt, ut demonſtravi ſuperiori argu mento. Diſcipulos ob ſimplicitatem credidiſſe rem falſam, nemo jure arbitritur, qui animadvertat diu & ipſos fuiſſe incredulos, donec vulnera Nazareni palparent. Corruptiſſe illos pecunia militem cuſtodem ſepulchri, ut magiſtri famæ conſulerent, & emortui corpus ſubripuiſſe, nullam habet imaginem veritatis. Si enim ipſos diſcipulos intueamur, ſuffixo cruci Magiſtro, diſperſi, timidique auſugerant, nec potuerunt poſt

5. Argumentum quod reſurrectione Chriſti.

F 2

poſt

post tam immane supplicium, qui ad satellitum adventum, & ancillarum vocem trepidaverant, tantum facinus aggredi, à fastu etiam, nominisque gloria abhorrentes. Si vero ad Judæos animum convertamus, ii, annuente Pilato, *muni-erunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus*, cumque id fecerint quia Christus prædixerat se post tres dies resurrecturum, si Apostoli cadaver subripuissent, id facile comprobassent, eosque apud præsidem accusassent de fracto, violatoque sigillo. Si denique rei inspiciamus eventum, cum mora sit furtis contraria, accedentes ad monumentum non explicassent sudarium & linteamina, quæ disjuncta in sepulchro inventa sunt, sed absque mora asportassent corpus sindone involutum & colligatum. Sed plura de hoc argumento in laudata Oratione Chrysostomus. Vide insuper Danielelem Huetium Demonstr. Evangelicæ Propos. ix. cap. 142. Thyrsus Gonzalez de Verit. Relig. Christi. lib. 1. cap. 7. & H. Grotium lib. 11. n. 5.

ARGUMENTUM VI.

6.
Argumen-
tum 6um
Oracula ab
exordio
mundi.

Proxima est argumentatio petita ex oraculis, quæ ab exordio mundi omni ætate Judaico populo Christum prænuntiarunt. Ea in præmissis disputationibus satis expendimus. Tam multa ac præclara habere solum Deum auctorem, qui solus futura omnia intuetur, neque comparanda esse cum ambiguis, & flexilioribus idolorum responsis, probatum est de Angelis capite xii. Nec Judæis tantum prænuntiatus est adventus Christi, sed etiam Gentibus, ut Moabitæ à Balaam, & à Job Idumæis. Etiam in sui perniciem ex vaticiniis Prophetarum demones suam per Christum eversionem veritate cogente nuntiarunt. Proditurum ex Judæa dominatorem universi, fuit imperante Augusto, opinio tam pervulgata, ut de ea scripserint etiam profani scriptores Tacitus, & Suetonius, ut diximus capite libri hujus octavo. Orta hinc quorundam opinatio Vespasianum esse Christum, sed quoniam in illum minime quadrabant oracula, his perlectis Jesum Nazarenum agnovere viri etiam per celebres, ut Verianus Pictor, & Marcellus Orator. Accedit ante Christum celebriora oracula obmutuisse, quod factum iri in signum adventus Messie prædixerat Zacharias xiiii. 2. Hinc Apollo fertur Augusto causam silentii sciscitanti hoc dedisse responsum:

Παῖς ἱερέως κηλεῖται με θεοῖς μακα-
ρίστον ἀνάσσειν
Τὸν δὲ δόμον περιπατῶν, καὶ αἰδῶν αὐθιγ
ἰκέσθαι.
Λοιπὸν ἀπιδιαιτῶν ἐν δούλοις ἑτετέρον.
*Me puer Hebraeus Divos Deus ip-
se gubernans
Cedere sede jubet, trissemque redi-
re sub Orcum:
Avis ergo debinc taciti discedite
nostris.*

Vide Nicephorum lib. 1. Histor. cap. 17. Suidam in Augusto, & Baronium in App. Ab his se delusum queritur Hyacinthus Serry Exercit. xxxii. fidem mendacio dedisse aliquando. Etenim, inquit, jam ab ipsa Ciceronis ætate cœpit Delphicum oraculum esse minori in pretio, ut ait idem Cicero 2. de Divinat. perstitisse tamen etiam sub Trajano colligitur ex Plutarcho. Suetonius præterea narrat responsum datum Neroni, Philostratus Apollonio, Dio Chrysostomus Hadriano. Aliud oraculum festivissimum commemorat Spartianus. Eusebius denique lib. 11. de Vita Const. cap. 45. stetit profectetur Oraculum Delphicum ad sua usque tempora. Ex quibus putant Critici complures falsissimum esse quod præmisimus de Augusto, quandoquidem longe ante Christum minore gloria erat oraculum Delphis, nec penitus post Christum obmutuit. Verum hæc, quæ putantur invictissima, nullius omnino sunt roboris. Nam etiam ab anno 3589. desierunt Prophetæ in Israel, quod signum erat non diu perseveraturam legem Moisaicam: atque ita nonnullis ante Christum annis cessavit apud Idololatrias oraculorum celebritas in signum divini Verbi proxime nascituri. Et quemadmodum, posteaquam cessarunt celebriores Prophetæ, nonnulli singulari Dei munere prophetarunt, ut Simón, Anna, Agabus: ita, postquam desit Delphici oraculi frequens rumor, & celebris existimatio, aliqui impii, occulto Dei judicio, demoniorum responsis decepti sunt.

ARGUMENTUM VII.

Accedunt testimonia non solum viro-
rum sanctitate ac religione illustrium, sed etiam hostium Christiani nominis. tum 7um
De Celso Epicureo, Juliano Apostata, ex testimo-
nii virorum
Flavio Josepho, & Mahumete dictum
sanctorum
supra. Addimus Acta Pilati, quo Præ-
& hostium
sede Christus Jesus affixus est Cruci. In
Christi.
his Romanus Præses tam insignia de Je-
su Nazareno nuntiavit, ut Tiberius, de
illius Apotheosis ageret apud Senatum.
Haud me later spuria & conficta hæc
censeri

cenferi à Criticis plurimis, quorum argumenta collegit in Apocryphis N. T. Fabricius, Clericus ad annum xxxiii. num. 192. & seqq. fed pugnant adverfus iftos perantiqui, & celeberrimi Ecclefiae Patres. Ad hæc enim Acta Gentiles provocavit S. Martyr Iuftinus in altera ad Antonium Apologia, Tertullianus in Apologetico adverfus Gentes cap. 5. & 21. & Lucianus qui fub Decio martyr occubuit. Eadem firmiter receperunt Eusebius Cafarienfis lib. 11. H. Eccl. cap. 2. Joannes Chryfoftomus hom. 26. in Epistolam fecundam ad Corinthios, Orosius lib. vi. cap. 4. & quotquot fubfecuti funt Historici ac Patres; ut merito fcripferit Petavius in Animadverfionibus ad Epiph. p. 87. contrariam fufpicionem ne refutationem quidem mereri: & ipfe Hyacinthus Serry tanta in ventilando ambigua monumenta licentiae, Exercitatione 64. non poffe acta Pilati citra fummam audaciam in dubium verti. Vindicat ea luculenter in Lecl. in Act. fecl. iv. Joannes Pearfonus. Occurrat ego Bafnagio, qui poft Pearfonum edidit Politicos, Criticosque Annales.

8. Itaque Bafnagius cit. num. 192. vellat Tertullianum, quod cap. 21. Apologetici de Chriftri refurrectione fcripferit, *Ea omnia fuper Chrifto Pilatus, & ipfe jam pro fua confcientia Chriftianus, Cafari tunc Tiberio nuntiavit.* At Pilatus non potuit Tiberium alloqui, cum Romam hoc jam defuncto pervenerit, ut liquet ex Iofepho lib. xviii. cap. 1. Nuntiare autem non eft fcripto aliquem adire, fed verbis. Incredibile præterea eft Pilatum narraffe Chriftri refurrectionem, quia tam Judæi, quam milites, apud Matth. xxviii. 13. nuntiaverant fuiffe illum difcipulorum fraude fublatum. Hæc fufiori ftulo Bafnagius. Sed falum primo eft verbum *nuntiare* interdum non ufurpari etiam latiniffime pro narratione facta per literas, ut conftat ex libro 1. epift. 17. Ciceronis ad Atticum. Deinde quis ignorat Tertulliani ftylum effe afperum & falebrofum, & ubique novatis verbis tumefcentem? Quod attinet ad refurrectionem; fi Præfes milites interrogavit, & audivit cadaver Chriftri fubreptum ipsis dormientibus, quod audito terræ motu, fparfoque tantæ novitatis rumore, proculdubio quæfivit; nonne ftatim illorum deprehendit malitiam, qui teftes dormientes proferrent? Atque id reddidit Pilatum etiam propria confcientia percuffum in veritatis difquifitione follicitum, atque in male curatas excubias feveriozem. Non tamen affirmit Chriftianam fidem fuiffe amplexatum, quandoquidem fua phrafi

appellat Tertullianus *confcientia Chriftianum*, qui veritatem non denegat. Habes confimile exemplum eodem libro Apologetici cap. xviii. explicatum à nobis Tom. 1. pag. 52.

Nititur Bafnagius feq. num. 193. demonftrare, nunquam Tiberium poftulaffe à Senatu Chriftri apotheofim, primo quia in Judæos infenfus erat. Deinde quia fi poftulaffet, proculdubio obtinuiffet: & Senatus minime id denegaffet. Ultimo quia principes mortuorum non invident dignitati. Ab his vero facile me expediam. Ad primum enim dico Tiberium petendo Chriftri confecrationem non rem gratam feciffe Judæis, fed ingratiffimam, quippe hi Chriftri dedecus & ignominiam optabant, non exaltationem & gloriam. Ad fecundum & tertium dico non potuiffe Senatum obtemperare Tiberio, quia Chriftus unum folum Deum coli mandavit, & Deos alienos, quos Romani colebant, coli prohibuit: eft autem Socratis fententia, unumquemque Deum fic coli oportere, quomodo fe ipfe colendum effe præceperit. Vide Auguftinum de Conf. Evang. lib. 1. cap. xvi. Adde divinum fuiffe confilium, ne verus Deus haberet eundem cum Idolis honorem, & ne Religio Chriftiana pofter dici auctoritate Romani Senatus, & præfidio hominum propagata. Tertio argumento quid contendat Bafnagius ignoro: nam petere apotheofim eft honor erga mortuos, non invidentia; imo nec mortuo petebatur, fed redivivo.

Proximo n. 194. vellicat Bafnagius epiftolas Pilati ad Tiberium, & conatur alios obprobare fuppoſitas. Urget autem hæc argumenta. Primo, inquit, Sixtina vernat floribus, quos non afferebat latinitas ævo Pilati. II. In utraque, tam Sixtina, quam edita ab Hegesippo effe apertiffima falſitatis indicia, ac præſertim miraculum Refurrectionis. III. Nulibi Tiberium dici Claudium Tiberium, fed Tiberium Claudium. IV. Incredibile effe quod Pilatus fcripferit à fe celeftem illum virum cruci damnatum. Verum & hæc futilia funt. Quæ circumferuntur Pilati epiftolæ neque à me apocryphæ dicuntur, neque genuinæ. Habemus tamen tertiam editam à Florentinio in Notis ad Apoftolorum indiculum, latinam, & fine vitiis, quæ opponit Bafnagius. Aliæ funt fortaffis iftius paraphraſes. Illud tantum contendo Pilatum facta Chriftri conſcripſiſſe ad Tiberium. Quomodo potuerit de Refurrectione mentionem facere, dictum eft paulo fupra. Cauſam mortis Chriftri po-

9. Bafnagii je-
cula non
feriunt.

10. Aliis ob-
jectionibus
ejuſdem fa-
tisfit.

tuit refundere in Judæos, qui accusarunt Jesum Nazarenum, tanquam subvertentem populos, & prohibentem ne Cæsari tributa persolverentur.

11. *Uteriora illius objecta excutiantur.*

Tandem Basnagius num. 196, adversus Acta Pilati insurgit tribus argumentis. Primum est, quod Justinus Martyr accipiendus est de gestis Christi in Evangelio enarratis: scribit enim, *Atque hæc ita esse cognoscere potestis ex Actis, quæ scripta sunt sub Pontio Pilato: ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου*, inquit, non, *ἀπὸ Πιλάτου*. Alterum quod Præsides Provinciarum non scribebant ad Cæsares, quæ ad Religionem spectabant, sed quæ ad politicum regimen. Ultimum quod fuerunt Acta Pilati conficta primum à Maximino in contumeliam Christi, quibus opposuissent Catholici germana, si revera extitissent. At ad primum nego loqui Justinum de Evangelio: quis enim Gentiles ad istud provocet? Deinde Tertullianus nonne scribit hæc *acta* apud ipsos Gentiles extare, & Lucianus Martyr reperiri in Romanorum Annalibus? Præterea nullum Evangelium, Præsides Pilato, scriptum est. Sed, si Basnagius fidem habet Joanni Millio, Matthæus Evangelium scripsit imperante Nerone, & anno V. Ae. Ixi. si Scriptoribus aliis, paulo ante; cæteri Evangelistæ post Matthæum. At Pilatus accersitus est Romam, & Judææ administratione privatus anno xxxv. Recte autem inquit Justinus, *ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου*; non enim Præsides conscribebant Acta, sed Notarii. Ad alterum dico à Rectoribus provinciarum missos ad Cæsarem etiam rerum quotidianarum commentarios, ut constat ex libro Philonis de legatione ad Cæsarem, probatque ad annum xxix. ipse Clericus. In *actis* præterea Pilati spectat ad politicum regimen detegere Judæorum fraudem atque machinamenta. Postremum diluitur dicendo ante Maximinum conficta ab inimicis Christi alia *Acta* Pilati, ut demonstrat ex Passione Sanctorum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici Hen. Valesius in Animad. ad lib. 1. cap. 9. H. E. Eusebii. Non poterant ergo Christiani obicere Maximino ab eo primum fuisse Pseudo-acta Pilati conficta. Plura ergo hujusmodi *acta*, etiam inter se pugnantia olim vulgata fuisse, verissimum est, & optime adnotatum à Cotelero Tom. 2. PP. Apost. pag. 162. sed nunquam extitisse Acta ge-

nuina, ad quæ priscis sæculis à Patribus provocabantur increduli, nullum Basnagii momentum evincit.

ARGUMENTUM VIII.

12. *Argumentum 8.*
In Christi denique commendationem plurimum facit, quod nulla imbutus doctrina hominum Religionem instituit cæteris omnibus sublimiorem. In iis enim, quæ spectant ad Dei cultum, nullum apud nos invenies sacrificium aut humano cruore pollutum, quale Jovi Latiali novimus immolatum; aut obscœnitate turpissimum, quo Gentes Cereri, Liberoque litant. Neque observamus circumcisionem & caeremonias legales institutas ad coerendam Judæorum licentiam, sed Deum adoramus in spiritu, & veritate. Nostra erga homines officia, usumque rerum temporalium, damnant, si forte possunt, aut Gentes, aut Mahumetani. Interdicta nobis latrocinia, ultiones, adulteria, polygamia, & quidquid speciem refert injustitiæ, vel turpitudinis. Plura de his Clemens in Protreptico, Athenagoras in Apologia pro Christianis, & Arnobius adversus Gentes. In sola etiam doctrina Christi repromissum est præmium, quo expleri possit ardentissimum hominis desiderium. Nil nobis vel propter voluptatem, vel propter terrenarum rerum affluentiam, vel propter inanem gloriam agendum est. Si quid commune haberet Religio Christi cum superstitione, moribusque idololatrarum, facile posset reprehendi; nunc, quoniam nihil habet commune, non potest. Si pravæ in nobis consuetudines irrepsissent, pugnant illæ cum exemplo Christi, præceptisque Evangelicis: idem est de erroribus, & dissidiis, quæ parserunt Hæretici, vel Schismatici. Qui Christi instituta servarunt, dicti primum ab Ethnicis homines superstitionis maleficæ, sed illorum vita, ac religione diligentius inspecta, habitis moribus inculpatis atque integerrimis. Extant adhuc, quibus id comprobetur, Epistola Plinii ad Trajanum datæ ex Bithynia, Trajani ad Plinium, Hadriani ad Minucium Fundanum, & Servianum Consulem: quas erudit Commentariis illustravit Joannes Gerardus Vossius. His itaque argumentis poterit quisque Christum etiam Paganis & incredulis annuntiare. Vide librum XXI. cap. 3.

CAPUT